

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instratum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX  
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proœcta latinitate*. — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:


In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmieście, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

“Kronika Rodzuna”

Krakowskie Przedmieście, 6.

Montreal

1689, Rue Notre-Dame.


**T. et G. Fratrum Parisi**  
 ROMAE in ITALIA  
 in foro Campi Martii, 6

  
 Vincentius Rigacci  
 officinae conditor  
 an. 1789.

**PONTIFICIA OFFICINA  
CANDELARUM AD SACRA**  
 cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X  
 honores addidere

*Candelae ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios  
 atque in Australiam exportantur.*



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Can-  
 delas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt,  
 et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae  
 in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candelarum « tipus oeconomicus » perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 cen-  
 tens Kgr. — Merx nullo iubentis impendio in omnes orbis portus mittitur, dummodo tre-  
 centis saltem cerea Kgr. constet.

Colligations ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum  
 dorso (viginti dierum iter) facillime perferant.

*Commercialis epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglicana, Theutonica, Hispanica lingua.*

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Februariis MDCCCCIX.

Num. II.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- Annus MDCCCCVIII.
- De numero oratorio in Ciceronis orationibus.
- De re litteraria apud Subalpinos. — De eloquentia: Angelus Brofferio advocatus.
- De Fausti Wolfgangi Goethe poemate.
- Paroemia sive Adagia: Capra gladium. - Cornix scorpium. - Oestipedem excitas. - Calidum prandium comedere. - Coturnix Herculem. - Atlas caelum. - Cretensis Cretensem. - Cretensis cum Aegineta. - Colloquia latina. - Nox transacta. - Triste difruculum.
- Quae fuerunt....
- Rhegii amoenitates.

ANNUS MDCCCCVIII

Quod iamdiu soliti fuimus, quotannis fideli calamo referre vices summatim sumptas, quae per orbem con-  
tigerint, quasi rationem putantes, quoniam modo sors aut fortuna se gesserit, circa elapsum annum hodie facere praestat.


Pacis trophyae sub anni MDCCCCVIII initio vidimus ubique per Europam tuta solidaque; non tamen usque ad exitum perdurantia, ob quaestionem illam quam Balkanicam vocant, repente a somno excitatam. Quum enim Februario mense suam Austri mentem aperuerint de ferrea via per Turcarum fines deducenda, oborta iurgia sunt, quibus nondum sedatis ecce, mense Iulio, legionum Macedonum rebellio a « Turcis inveni-  
nibus » mota, quae civile regimen Turcarum subvertit popularium legatorum introductionem in ci-  
vitate gubernanda adducens. Factum id est quidem sine sanguinis effusione atque ratum a ceteris Europeis guberniis, quae imo, pacem inde relatuos populos illos sperantia, milites suos ad tutelam, uti constat, illuc habentia revocarunt. Tum contra, Ferdinandus, Bulgarorum princeps e Saxonum genere, exemplo regem sese edicit; quum eodem tempore Bosniacam et Chulmensem provincias, quas armis tenebant, Austriae sibi addicunt suique iuris faciunt. Hinc dicere iras que Slavorum omnes gentes pervaserunt longum est; Serborum praesertim, quorum adfines Bosniaci populi sanguine et lingua sunt, quique non inultum ausum se relikturos despondent. Hinc belli timor omnes pervasit nationes, quod Deus avertat; nam hodiernis tormentis equis suppedit quale bellum futurum erit?

Russi populi Serborum sentire querelam visi sunt maxime, iisque laturi praesidium. Montis autem Nigri regulus haud minores suis ex terris effert minas... Igitur ne statim omnes ad arma current Turcarum sapientia et Anglorum prudentia suasit, quibus populi omnes consensere; ut scilicet coetus legatorum omnium Europae nationum cogeretur, qui de novis eventibus suam sententiam esset laturus. Verum non pauci dubitant fore ut sententia arbitralis vana maneat semper, quoadusque armis non sit dimicatum pro iure et ad patrium tuendum decus.



Haec dum geruntur, multa itinera regum, principumque, optimatumque perducta memorantur optime. Quum enim Austrorum Caesar regni sui natalem sexagesimum viderit, Guilelmus, Germanorum Imperator et Borussiae rex, Vindobonam ivit illum salutatum, et cum eo reges omnes lingua qui Theutonica, et more sunt, et animo.

Anglorum rex Lutetiam Parisiorum tenuit et Ischlium, Revaliumque ad oppidum vidit Russorum regem, et regem Iberorum Matritum salutavit. Falloires, Gallorum praeses, Londonum petuit Petropoliisque, et Danos Suevosque tandem invisit.



Foedera quoque inita sunt multa: ab Anglis et Russis de Asiatico imperio, ab Iaponiis et Americanis de Pacifico mari persulcando, foedusque etiam sanctum ad Norvegorum nullius partis studium in Nordico mari procurandum.



Mauritanae res Gallorum arbitrio quasi commissae fuerunt, qui prudenter, Muley Afid rege dicto, quietem restituere conantur.

Anglica atque Germanica invidia utriusque gentis sapientia in dies mitigatur.

Italis nobis, qui pacifice annum transegimus, teterimus luctus sub illius finem contigit, eversis terrae motu urbibus clarissimis Messana et Rhegio.

Neque finem recensioni huic imponemus, quin lacrimantes repetamus excidium illud a perditis hominibus Olyssipone in regalem familiam patratum, quo Emmanuel adulescens rex solium sanguine manans concendere necopinato coactus est... (Or. LXIII, 212-214).

Iamque nihil superest, quam ineunti novo anno laetiora auspicari Dei munera et pacem.

### DE NUMERO ORATORIO IN CICERONIS ORATIONIBUS

M. Tullium Ciceronem non modo splendido dendi genere, sed etiam numerosae orationis suavitate ceteris omnibus Romanis praestitisse nemo est qui ignoret.

Qua autem ratione id adsequutus sit, aut etiam quid sit apte terminare sententias, longe difficilius est sentire. Immo de solvenda tam obscura quaestione fortasse desperandum esset, nisi ipse Tullius nobis aperiusset quam rationem esset sequutus. Sed artem suam non occultavit. Exaravit enim eum liberum, qui inscribitur *Orator*, in quo plenius quam in ipsis *de Oratore* libris, quid esset numerus oratorius explicavit: multis eum partibus contineri, et verborum delectu et vitando concursu duriorum litterarum, et oppositis membris paribus similibusve, et pulchre compositis periodis et apte permixtis brevibus longisque syllabis.

Quibus de rebus alibi disserui<sup>(1)</sup>; heic autem unam illius artis partem, et eam quidem minus notam, breviter attingam; in qua, nisi scirem *Vocis Urbis* lectores latinae linguae studiosissimos, excusatione mihi opus esset qua ipse Tullius, quem de his ageret usus est: « De syllabis, — inquit, — propemodo dum dinumerandis et dimetiendis loquemur ». (Or. XLIII, 147).



Dimetiamur igitur syllabus. Operae pretium est. Qui enim haec quae mox dicam semel animadvertis,

(1) Cf. *Etudes sur le style des discours de Cicéron, avec une esquisse de l'histoire du cursus*. (Parisii, apud Hachette, 1907) p. 101-219.

is quum Tullianas orationes regustet, novam quamdam in eis harmoniam percipiet atque incunditatem.

Censem ille praeclarus orator, ut in versibus, sic in clausulis sententiarum (paulo famen liberius) pedes quosdam esse servandos; eosque enumerans, primas tribuit dichoreo: « Quum duo extremi chorei sunt, id est e singulis longis et brevibus... Cadit autem per se ille ipse praeclar... Me stante C. Carbo C. F., tribunus plebis in contione dixit his verbis: "qui cumque eam violavissent ab omnibus esse ei poenas persolutas". » Dichoreus; nihil enim ad rem extrema illa longa sit an brevis; deinde: « Patris dictum sapiens temeritas filii *comprobavit* ». Hoc dichoreo tantus clamor contionis excitatus est ut admirabile esset ». (Or. LXIII, 212-214).

Conferamus nunc hoc Ciceronis praeceptum cum eius orationibus; in iis dichoreum inveniemos frequentiorem esse quam ullam aliam clausulam.

Sed id nondum satis. Post dichoreum alias clausulas enumerat: primum quidem eas quae ex *cretico* (longa - brevi - longa) et *paeane* (una longa et tribus brevibus) constant, deinde eas quae ex *spondeis*. Ceteras vult esse rariores. Quia autem ultima syllaba (quod idem est in versibus) semper est aneps, illi pedes in paenultimo praesertim loco plene suam vim obtinent.

Iam vero, amice lector, si quaerere velis quatenus id quod doceret ipse exsequutus sit, facile est experimentum. Si orationes Ciceronis tibi praesto sunt, librum quovis loco aperi; omnes fere sententias una ex his clausulis terminabit:

Dichoreus	— <u>—</u>	“comprobavit”
Creticus cum spondeo	— <u>—</u> <u>—</u> <u>—</u>	“morte vicerunt”
Duo cretici	— <u>—</u> <u>—</u> <u>—</u> <u>—</u>	“splendet oratio”
Paeana cum spondeo	— <u>—</u> <u>—</u> <u>—</u>	“quosque superarunt”
Duo spondei	— <u>—</u> <u>—</u> <u>—</u>	“impellamus”

Immo si quasdam orationum partes numerosiores<sup>(1)</sup> revolveris, facile videbis non modo periodos, sed etiam singula membra sententiarum iisdem quas dixi clausulis terminari. Exemplo sit hic locus<sup>(2)</sup>:

« Maiores nostri saepe mercatoribus aut naviculariis nostris (creticus et spondeus) iniuriosius tractatis (duo spondei) bella gesserunt (creticus et spondeus); vos tot millibus civium Romanorum (duo spondei) uno nuntio atque uno tempore necatis (paeana et spondeus) quo tandem animo esse debetis? (creticus et spondeus). Legati quod erant appellati superbii, Corinthum patres vestri (creticus et spondeus), totius Graeciae lumen (creticus et spondeus) extinctum esse voluerunt (paeana et spondeus); vos eum regem inultum esse patiemini (paeana et creticus) qui legatum populi Romani consularem (dichoreus) vinculis ac verberibus

(1) De variis scribendi generibus, quibus Tullius usus est, egi in eodem libro p. 219-340.

(2) Pro lege Manilia, V, 11.

atque omni supplicio excruciatum necavit? (dichoreus). Illi libertatem *iminutam* (dichoreus) civium Romanorum non tulerunt (dichoreus); vos eruptam vitam negligetis? (dichoreus). Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt (creticus et spondens); vos legatum omni supplicio interfectum relinquatis? (creticus et spondens) ».



Quod si quis putet casu aliquo facta haec esse, conferat Tullium cum eius imitatoribus, vel etiam cum aliis quibusdam scriptoribus Latinis, qui numerose scribere non conati sunt, ut Sallustio vel Caesar: iam dubitare non poterit, quin consulto Cicero quasdam clausulas admiserit, alias reiecerit. Si quis autem miretur tantum virum in tam minutis rebus operam posuisse, sciat illum non ita anxie scripsisse, ut semper quam clausulam eligeret ante cogitaret. Usu enim et consuetudine id assequutus erat, ut quae semel apte cadere iudicasset, iis sponte uteretur. Itaque de oratione numerosa idem dicere poterat quod quidam poeta de carmine:

*Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos.*

Cantuariae in Anglia.

L. LAURAND S. I.

### DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

#### DE ELOQUENTIA

Eloquentia illa, quae de re publica apud populum libere tractare consuevit, ac tam diu apud exteris gentes, quae non voluntate principis sed legibus regerentur, vigebat et in maximo honore apud omnes tenetur, inter Subalpinos omnino usque ad nostram fere aetatem siluit. Vix in foro, ubi in magistratum penetalibus, nulli adeundis, causae civiles et criminales agebantur, hic atque ille praeceteris primas referebat. Verum quum primum imperante Carolo Alberto, qui callidissime temporibus inserviendo, aequatis omnium civium iuribus, populorum expectationem expletivit, et eius gratia populare imperium apud Subalpinos stetit, tunc magna oratorum colluvies, uti in liberis civitatibus semper accidere consuevit, et in urbe regni capite adsurrexerunt, qui veluti agmine facto ad rempublicam regendam se turbatim contulerunt. Tunc nemo fuit acutioris ingenii vir, aut gloriae cupidus adulescens, quin summo studio ad eloquentiam niteretur, cuius ope vel ignoti homines et repentina ab humilitate atque obscuritate ad supremas dignitates evolare studuerint. Nimurum hone-

stissimus iis aditus ad multitudinem patebat, in cuius animos iustitiae praesertim atque intelligentiae opinione facile influerent. Alia quoque palaestra latissima patuit in diariis consribendis postquam Carolus Albertus Guttembergiam artem, innumeris antea sed aptissimis vinculis adstrictam, in libertatem vindicavit. In eius autem praesidio sanctissima mortalia iura latebant. Sed in eius libertate futurae felicitatis spes ostendebatur, et Carolus Albertus ipsam popularis sententiae atque opinionis internuntiam, ad ordinandum liberae civitatis statum in consilium adhibere non dubitavit.

Et multi Augustae Taurinorum, postea Florentiae, Romae, Neapoli, et Mediolani adstiterunt oratores, qui magnis lateribus, et nova mirabilique eloquentia de libertate apud populum causam agerent... « Centum oratores augusta ad moenia regis », praeter opinionem, non modo apud seniores prosiluerunt, sed in plateas, ut tunicato popello blandirentur, qui novus gentium dominator novis temporibus adstabat. Sed cum Tacito recte dixeris: « Pauci prudentia, honesta a deterioribus, utilia a noxiis discernunt » (1),

#### Angelus Brofferio advocatus.

Prae ceteris enituit Angelii Brofferio virtus, cuius famam deus oris augebat cum quadam maiestate. Hic Castrinovi Calceae apud Astenses natus, vel a teneris unguiculis magna de se futurae celebritatis indicia praetulit. Namque acerrimum ingenium nactus, Augustae Taurinorum in Archigymnasio ita impensis iurisprudentiam excoluit, ut etiam tum iuvenis laurea donaretur. Omnia iugi cuiuscumque genera indignatus, libertati plus aequo inserviens, adolescentiam in coniurationibus imprudenter ingenio suo abreptus transegit. At quum primum libertatis auram captavit, quam Carolus Albertus rex immortali beneficio populis suis permisit, inter populares oratores adlectus, in illa subita rerum perturbatione, reipublicae arbitrium obtinuit, atque ad eius prope nutum, brevi quidem tempore cum singulorum hominum, tum universae civitatis voluntates se finixerunt atque accommodarunt. In rebus civilibus atque criminalibus agendo primas facile tulerat et fama ingenii ac subtilitate apud omnes percresebat.

Quum autem ad Novariam adverso Marte Carolus Albertus pugnavit et regno relicto in exilium sponte se contulit, magna in urbe regni capite animorum turbatio. Pacem cives postulabant, patres matresque filios querentes in acie occisos pacem implorant, illos maximo furore accusantes, quorum improbitate atque insania ad bellum arma sustulerant. Tunc in primis praevaluit illorum sententia qui pacem cum dignitate quaerebant. Iam cives rebus bellicis adfli-

(1) Ann. lib. IV.

etati ac mutuo se insidiis petentes, illinc partium studiis dilacerati, quae nunquam ab odiis, ab iniuria, a caedibus etiam temperarent, eo erant adducti, ut iam non quieturi viderentur. Audiebantur fremitus atque inconditi clamores, quibus caelum ac terrae miscere videbantur. Brofferius apud vulgum male audiebat, et pronus ad bellum imprudenter ferebatur, bonoque publico insignis adversarius. At ea fuit hominis auctoritas, et tam singularis dicendi vis, ut furentes animos deliniret, factionum pervicaciam fregerit, inveterata odia restinxerit. Iam pectora defervescent, ad ultionem modo exardescerent, quiescent convicia, irati vultus repente in dicensis obsequium compositi, pacem ubique et concordiam portendunt. Haud longe a veritate abibant qui ob victoriam a Brofferio relatam cum Cicerone eum componere haud dubitarunt, quum sententiam a patribus conscriptis adprobandam curavit de Catilinae sociis in vinculis interficiendis. Quam quidem opinionem ipse amplexari videbatur; attamen si cum maximo Romanorum oratore componi altius fortasse audaciusque esse putabat, facile consentiebat cum Gallico illo oratore, cui est nomen Mirabeau, qui ingenio eniit apud Galliam in primo illius gentis tumultu, et eloquentia percrebuit, vitiis atque fortunae causibus.

Nec iam eius eloquentia sine lacertis, sine aculeis fuisse dici potest, quae sub principatu feliciter proveniens, potentiorum auribus blandiebatur, omniaque audebat in lucem veritatis proferre.

Dolendum sane quod ipse, qui pro civium libertate acerrime decertaverat, vincula saepe fuerat passus et carceres, arrepta tandem libertate, quam maximis laboribus et periculis nequidquam patres nostri optaverant, et aequatis civium iuribus, hanc rerum felicitatem alumnis sacrorum unice per fas et per nefas negaret. Verum totus huius hominis in oratoria progressus traditur religioso viro referendus.

Narrat ipse, quum se ad altiora natum esse praesentiret, omnia pro viribus sibi esse facienda autu-masse, ut studio, doctiorum sapientia consilioque illuc tandem pervenire posset.

In Archigymnasio nostro litteras italicas libere tradebat Joseph Manera, religiosus, quem alias memoravi, ad cuius scholam frequens Subalpinorum soboles convenire consuevit.

Utinam a doctissimo viro praeter elegantiorum litterarum disciplinam, quam candidissime arripuisse profitetur, et animi candorem religionemque didicisset! Multa edidit Brofferius; sed omnia in hominum desuetudinem abierunt; et illa ipsa historia, quae publice ei fuit permissa, ne dicam ab ipso rege Victorio Emm. II, cui est titulus: *Storia del primo Parlamento italiano*, adeo vitiosa appareat, ut auctor in dicto arguimento ingenium periclitari, non res narrare videatur.

Ingravescente bello, quod novissimum pugnatum est pro italicica libertate vindicanda adversus Austriacos, ipse bellicum carmen composuit, deinde fato cessit, sexaginta quinque annos natus, an. MDCCC LXVI.

SUBALPINUS.

### DE FAUST WOLFGANGI GOETHE POEMATE

Anno MDCCCVIII vere ineunte Goethe Wolfgangum, Germanorum poetam facile principem, primam sui poematis partem edidisse constat, quo quidem vetus traditio ad summos honores elata est. Quaeritur tamen adhuc, quod et primo iam tempore quaesitum est, utrum Faust ille, poematis primarius actor, protinus popularium ex mentibus diuturnam per traditionem ortum duxerit, an potius in vivis revera gerit.

Nam XVI iam saeculo dubitabat nemo de Fausti veritate; quinimo editus est ea aetate volumen cui titulus: *Disquisitio historica de Faust praestigiatore*, in quo vita eius enarrabatur.

Iohannes enim Manuel quidam, natione Bavarus atque Melanchthonii discipulus, magistrum suum hominem cognovisse narrat nomine Faust, qui Cracovia in urbe magicis artibus operam dedisset quique prodigiis suis diabolicis populum stupore repletet. Saxonum itaque e regno pulsus, Norimbergam petiit urbem, inde vero Venetas migravit. Quo quum pervenisset, palam edere artis suaे discrimen insigne constituit, spoponditque se nullo fulero in aerem evolatulum. Rem vero quum iniisset, brevi, medio e caelo, in solum praeceps corruit atque efflavit spiritum.

Eumdem autem eventum Philippus Camerarius narrat, additque magi ex cadavere, nefandum adustae carnis odorem prodiisse circum.

Ceterum de Fausti huius gestis memoria et copiosa maxime et semper vulgatissima fuit; quum tamen lateat unde exorta sit. Id unum certum, saec. XVI neminem prope fuisse, qui insoliti viri vita ignoraret, quem plures cum Georgii Sabellici, Germani cuiusdam nebulonis, vita confundebant. Rem Alfonsus Bossert Gallus, an. MDCCII accuratissime investigavit ac studiosissime, inquisitionisque suae fructus edidit in lucem, afferens quidem testem quendam Manuelio antiquorem, qui Wurzburg Benedictinorum in conventu vixit, nomine Iohannes Triheim. Hic in epistola Verdung ad amicum anno MDVII data de Sabellico sermonem et ipse faciebat scribens:

« Hominem, quem tu nuncias mihi, quique magi sibi

### PAROEMIAE SIVE ADAGIA

#### *Capra gladium.*

In eos dici solet, qui ipsi reperiunt quo pereant. Orta est ab huiusmodi quodam eventu. Olim quum Corinthi Iunoni Acreae rem divinam facere pararent, huius Iunonis statuam aiunt a Medea positam fuisse: atque hi, qui ad praebendam hostiam erant conducti, defosso sub terra cultro, quum oblitos sese assimilarent, capra pedibus excalpens eum eruit prodiditque; itaque mactata est.

#### *Cornix scorpium.*

« Cornix scorpium (rapuit), quadrat in eos qui parant illos laedere, unde tantudem mali sint vicissim accepturi, quemadmodum cornix, correpto scorpio, arcuata illius cauda vulnus accepit lethale peritque. Exstat super hac re Graecum epigramma, quod latinis versibus est:

*Scorpius e terra proreperat, idque vidente  
Corvo, qui caelo vicitat in liquido.  
Corripuit visum, fugitque: sed hic ut humum ales  
Contigerat, telo mox ferit atque necat.  
Ecce tibi, quod in hunc avis insidiosa parabat,  
Inde sibi accivit ipsa necem misera.*

Atque id in rebus humanis frequenter usu venire solet, ut qui cepisse videatur captus sit ipse.

#### *Octipedem excitas.*

Cratinus in Thrattis apud Suidam octipedem excitare habet, nimirum scorpium: cui pedes sunt octo ac plerumque sub saxis abditus cubat, quem non nisi tuo periculo suscites, propter venenum, quod in cauda gestat.

#### *Calidum prandium comedere.*

Huc addudere videtur Plantinum illud: « Calidum hodie prandium prandisti»; id est: Fecisti quod tibi magno malo sit futurum. — Ab iis sumptum, qui se noxiis ac letiferis ingurgitant cibis, postea ventris tormina sensuri.

#### *Coturnix Herculem.*

« Coturnix Herculem (servavit). — Dici solitum de iis, qui in periculo servati essent ab illis a quibus minime sperarent. Adagiis originem ad huiusmodi fabulam referunt: Coturniceem quandam Herculi in deliciis fuisse, cuius nidore quum viva incenderetur, ille mortuus sit in vitam restitutus. Meminit huius fabulae Athenaeus quoque (lib. XIX) scribens Herculem Iovis et Asteriae filium, in Libyam proficiscentem a Typhone fuisse interemptum; revocatum autem in vitam odore coturnicis, illi ab Iolao admota; et ob eam causam Phoenices Herculi coturnem sacrificare.

*Os homini sublime dedit caelumque videre  
Iussit et erectos ad sidera tollere vultus.*

Ov., Metam. I.

*Atlas caelum.*

«Atlas caelum (suscepit)». — Dici solitum de iis, qui sese magnis et molestis involvunt negotiis, ipsique sibi malum accersunt. Nam hic caelum hospitio exceptit. Deprehensus autem quod illi struxisset insidias, praeceps datus est in mare Atanticum.

Porro notior est, quam ut hoc loco sit referenda de Atlante fabula, caelum humeris et vertice sustinente.

*Cretensis Cretensem.*

Dicitur quoties improbus agit cum improbo, perfidus cum perfido. — Sumptum adagium a Cretenis moribus, quos plurimis conviciis incessivit antiquitas.

*Cretensis cum Aegineta.*

Quadrat pariter in improbos qui mutuis inter se fallaciis agunt. Nam Aeginetae quoque olim male audierunt, in quos etiam oraculum illud quidam editum putant: «Neque tertii, neque quarti».

FORFEX.

## COLLOQUIA LATINA

*Nox transacta* (1).

GABRIEL. — Salvere iubeo vos sodales meos, te Laurenti, et te Nazari.

LAURENTIUS. — Nos te vicissim. Ut vales? valuius in?

Nam te quatuor ipsos dies nunquam oculis usurpavimus.

G. — Paulo deterius, quam heri, et nudius tertius, quartus, quintus.

NAZARIUS. — Quamobrem?

G. — Propterea quod ista nocte quae praecessit proxima, haud placate dormivi.

L. — Male narras. Aliquo fragore nimirum iterum iterumque exercefactus?

G. — Fragor quidem nullus me perturbavit; sed...

N. — Sed quid?

G. — Mirum atque inscitum somniavi somnum.

N. — Quod somnium?

G. — Terriculamentorum plenissimum.

L. — *Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,*  
*Et pavidas mentes falsa timere iubent.*

G. — Non eo dico, quia nunc metuam: sane quidem novo metu fractus omnino, ac debilitatus cohorru, steteruntque comae, et vox faucibus haesit. Videbar enim (oblitus sum perpetrati piaculi) ad subsellia

(1) Ex IACOBI PONTANI opere cui titulus: *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F.

iudicium severissimorum raptari a lictoribus, inde condemnatus ad mortem duci. Iam carnifex romphaeum distingebat, ut caput meum a cervicibus amputaret. Amabo, quid vos animi in illo omnium gravissimo praesentissimo periculo haberetis?

L. — Ingenue dicam quod sentio. Ego qui vel muscas praetervolantes horreo, ante mortem ipsam morerer.

N. — Abeant somnia in malum cruciatum; nos vota Deo faciamus, ut mala somniorum tenuis et bona quaeque vigilantibus nobis eveniant.

G. — Quid vero? vos hac nocte quievistis ex sententia?

N. — Ab octava vespertina ad septimam matutinam iucundissime; et *toto proflabam pectore somnum*.

L. — O factum pulchre! *Macte nova virtute, puer;*  
*sic itur ad astra!* Ego ad intempestam noctem legi, donec me lucerna deseruit.

N. — Tu alter Demosthenes eris. Proh discendi ardorem insolitum!

L. — Tibi insolitus et gregalibus tuis, qui delectationem somni habetis.

N. — *Parcius ista viris tamen obiicienda memento.* Laurenti, nos, ut noris, quieti noctem, labori diem impendimus ad naturae praescriptum scilicet: cui repugnare quid est aliud, quam gigantum more bellare cum diis? (ait apud Ciceronem Cato).

L. — Apage cum istac propugnatione ignaviae tuae. Nam hoc, crede mihi, nunquam obtinebis, ut te somniculosum et laboris fugitatem ne indicem.

N. — Quod lubet. Ideone aut ero qui non sum, aut non ero qui sum?

G. — Qui deinde, mi Laurenti, somnum inire potes, quum ita pervigiles?

L. — Coena terrestris est mihi; quocirca inter me et somnum perbene convenient; quum volo, me obtinet; quum nolo, me relinquit.

G. — Malim equidem tuas vigilias, quam huius rhonchos.

N. — Ecce autem secundum adversarium. Noli tu quoque, Gabriel, me ludos facere, quum hoc Laurentius affatim praestiterit, et in isto officio te anteverterit. Quod nisi desistitis, magister mox aderit, quo disceptatore bellum utriusque indicam. Ibi cognoscetur quantum vestris pervaigationibus consequiti sitis.

G. — Caveto ne istos tibi spiritus comprimamus.

N. — Vestras ego linguas ita occludam, ut de somno meo ne mussare quidem audeatis.

L. — Eris mihi magnus Apollo.

G. — Res ipsa iam testimonio erit. Audione advenientem quempiam?... Praeceptor est, vere est, ipsius est.

*Triste diluculum*

*Proxima strata iacet celso Messana Peloro,*  
*Molis et eversae fragmina multa silent.*

*Contra Reginae surgit fatale sepulchrum*  
*Urbis: in ingenti mors sedet atra rogo.*

*Undique conspicias horrendae signa ruinae:*  
*Undique lamentis litora triste sonant.*

*Templa ruunt, aedes, quidquid struxere coloni:*  
*Sic natura minas effera, coeca parat.*

*Nondum sub terras noctem sol egerat, iris*  
*Cum tumidis terrae viscera quassa fremunt,*

*Et sopor oblectans cives securus habebat,*  
*Cum subito fremitu territa membra rigent.*

*Quae fuga? quaeve manet pavidos spes ulla salutis?*  
*Quid clamor, lacrymae, clade furente, iuvant?*

*Si mare turbatum, rabidis si fluctibus altum*  
*Gurgite se tollit congeminatque necem?*

*Aequora spumescent rauco stridore: per urbes*  
*It tremor informes visque furentis aquae.*

*Scylla, Charybdis enim miscentur monstra, vomuntque*  
*Epotis undas: limna quaeque petunt.*

*Iamque sub immensis conduntur corpora saxis,*  
*Quaeque fuetur humus, dira procella vorat.*

*Interea caelo densus demittitur imber:*  
*Horrida tempestas aequore saevit, humo.*

*Est qui pertentet profugis vitare periculum:*  
*Errat et insanus corpora strata premit.*

*Perque struem lapidum, rudus, per fragmina quaerit*  
*Effugium quisquis: regnat in ore pavor.*

*Non ita Pompeiana vagans incerta Vesovi*  
*Turba sub ignivomi dicitur esse minas.*

*Non ita tot damnis pressus Messanius olim*  
*Effugiens linquit litora, tecta sua.*

*Non ita Rheginus patria miratur hebescens*  
*Exitium dulcis, diruta templa, focos.*

*Non ita rimosam crevit Iaponius urbem*  
*Nec natos flevit membraque sparsa domus.*

*Nec tot sanguinei resecant certamina belli*  
*Quot gentes rapide terra fretumque metit.*

*Heu dolor! heu tristes casus! heu fata! Stupemus*  
*Quidquid ab ingenti vortice turba ferat.*

*Sic duo confestim cediderunt oppida, rerum*  
*Nomine quae insigni nota fuere prius!*

*Altera splendebat portu Zanclaea fretoque*  
*Urbs bene structa suis molibus atque viis.*

*Altera quaesitis florebat mercibus, hortis*  
*Unde pia carpsit pendula poma manu.*

*Quae vis viiferos colles, oliveta recidit?*  
*Quae sata nocte bonos delet Erynnis agros?*

*Quae pyra consumit contracta cadavera flammis?*  
*Saecli fortunas quaene vorago tenet?*

*Italiae splendor, nitidum speculumque sicanus*  
*Marmoris: o patriam vestra ruina moveat.*

*Ipsaque sparsa comes in tanto funere fletum*  
*Fundit et alma vocat pignora cara parens.*

*Vos claras queritur gemmas dempsisse corona,*  
*Vos per reliquias icta dolore ciet.*

*Iamque iocos, choreas, differt spectacula concors:*

*Unus adest lucus, maeror et unus adest.*

*Hora premit tristis, condunt et lumina nubes:*

*Cogere nunc vires divitiasque iuvat.*

*Nos quibus invidia livens natura pepercit,*

*Fratribus ex imo corde feramus opes....*

Cavae, a. d. iv Non. Ianuar. MCMIX.

M. GALDI.

## Quae fuerunt....

Quae fuerunt Italorum urbes, Messana et Rhegium, loci adspicu solique opibus inter amoenissimas et uberrimas iure meritoque adnumerabantur.

Viatores per immenses Geracensis terrae planitatem, olivis residentem et vitibus, hanc appellebant Calabrorum urbem lectissimam, cuius moenia mare nostrum lambit.


Non vero hoc Rhegium erat, quod Dionysius olim diruit, neque Rhegium Iulii a Iulio Caesare aedificatum postquam Pompeium e Sicilia depulit, ubi vitam explevit pulcherrima illa pariterque pessima Iulia, Augusti filia atque Marcelli primum, mox Agrippae uxoris, postremo autem Tiberii. Non Rhegium erat, quod Alaricus, Visigothorum rex, flammis dederat. Serapidis, Dianae, Apollinis templo, gymnasium et prytaneum Alaricus ille adussit. Instauratam urbem Oenobarbus, Mauritanus pirata, iterum delevit; facinusque iteravit Petrus Cicada Cusentinus, possidentibus Hispanis Calabrorum terras, e carceribus Inquisitionis perfuga. Noviter etiamtum natam urbem terraemotus ingens anno MDCCLXXXIII pessum davit. Itaque Rhegium quod his diebus terraemotus aliter solo aequavit, recentissimo omnino more aedificata erat, rectis nimirum viis et deambulationibus circata amoenissimas, mari suaviatis, caput in collibus depensis, quas hesperidium arbores utique ditant.

Iter circa mare mirabile; visus autem qui inde spectatur renidens maxime. Naves omnis generis undas freti persulcant, quas e via quoque spectare licet, quae colles cingit, urbem undique munientes. Adversam item residentem spectabant advenae et cives Messanam urbem, quam omnem heu! una eademque terrae concussio omni decore privavit.

Ab S. Iohannis enim villa, quae prope Rhegium est, ferreis curribus patet in Siculos iter, qui navi impositi et vi vaporis acti adversum facile litus appetunt. Messanam, inclytam illam urbem, olim Messanae gentes fundavere profugae ex alma matre Graecia. Heic quoque hesperidia per omne litus oient; heic quoque splendidus inferi maris adspectus. Sicania heic insula pulchrum effert ex undis caput,

e gente primum exstructum erat. Musiva ibi multa opera insculpta signa, tabulaeque pictae; Aegyptiaci marmoris sex et viginti columnae eius lacunaria subportabant. In platea vero equestre quoque signum Carolii Borbonii regis erat tertii.

Commerciū ingens Messanensem hunc ad portum mutabatur semper, nec hodie quoque omnino tacet. Decrevere iam igitur italicī cives utramque urbem



Messanae urbis prospectus ante diem XXVIII mens. Decembr. MCMVIII.

quam circum tepidus pontus fervet semper. Multis colibus circumdata Messana quoque quiescebat, qui proximis lente et montibus descendunt. Silvarum comae hinc indeque, quae sub sole novo nigrant omni die. Magna aedium divitium imminebat mari series, quae pergrata advenis primo in occursu patebat, a magnis ipsis aedibus *Palazzata* italicō nomine deducto. Amplae autem viae pleraque et pulchrae et divites ac densissimo populo confertae; nam quinquaginta hominum millia supra centum eius inter moenia civium fuisse constat.

Fontes per insignes opere et arte fora passim deorabant, signis multis insculptis. Princeps vero in foro, quod ante cathedralē patebat templum, olim stabat fons, quem monachus quidam Michaelis Angeli Bonarotii alumnus extruxisse saeculo decimo sexto fertur. Sed fontem ac templum, fora, viasque domus quę una hodie ruina et unus horror occupat. Templum, ut in Siculis passim, a regibus olim Normanna

restituere; quotquot enim mare Tyrrhenum Ioniumve persulcant naves, per fretum Siculum quum pertransirent, Messanae portum attingunt, amplum quidem et magnum ac tutissimum, vel Reginam oram approxinquant. Resurrectionem hanc Italorum faciet cordia; hoc facit patriae inextinguendus amor. Sed exteriores quoque et peregrinos per orbem omnibus ex gentibus nostro qui luctu lugent, opes dare nuper et auxilia praestare magno cum animi solatio vidimus, ex Americis ipsis et ultimis australianis oris: duarum enim urbium tanta immanisque ruina corda omnia movit, lacrimas omnium excitavit.

Resurgent itaque urbes; verum, experientia duce, quae eas saepe docuit tanto flagello obnoxias, ita resurgent ut, artis magisterio, contra telluris rabiem tuto iudicio repete valeant: Domui, vici te, fallax natura!

VIATOR.

### RHEGII AMOENITATES<sup>(1)</sup>

Quid maius oris Italiae ultimis,  
Vel invidendum? En Pharos, ubi rapax  
Scyllae et Charybdis sistit aestus,  
Instat atris fere pictus undis,

Hic arva florent, longior anna  
Hic ridet aetas, mitibus et caput  
Praecinctus autumnus racemis,  
Hinc pluviae, glaciesque iniquae  
Procul facessunt. Hic, dum arethusium  
Fontem revolvit mente, tibi en nitet  
Messana et Aetna, en Fata, solis  
In speculis radios reflectens



Rhegii urbis prospectus ante diem XXVIII mens. Decembr. MCMVIII.

Quarumque cursus fluctibus invicem  
Aretis in ima parte refrangitur,  
Summusque gurges nunc profundum,  
Nunc superum repetens hiatus  
Terret carinas. En bipatens plaga  
Miranda visu, qua medius liquor  
Secernit Aetneos ab almis  
Ausonise uberibus parentis.  
Dueunt choreas undique Gratiae  
Hoc, quem unus anteit Bosphorus, angulo:  
Solesque verni et purus aether  
Sidereo radiant colore.

Gibbis per aer, per mare concavis,  
Aestatis alba, monstrat imagines  
Zancles venustae, vel Columnae (1)  
Et miseri simulacula Glaucae (2).

Portenta! Nosne Euripus, et aureus  
Hermus, Chorintus vel bimaris iuvat,  
Delusque Latonae, Paphiosque,  
Et zephyris agitata Tempe?

Immane quantum distat ab inclyta  
Haec urbs Hidaspe et fontibus integris  
Pimplae! Rosarum nocte, Chlori,  
Necte novam Regino coronam.

Cerne ut propinquos leniter adsilit  
Colles, et almis compta coloribus  
Iueunda protendit lacertos  
Ionio Siculoque ponto.

(1) Italie: Catona.

(2) Glauca (italic Gallico) post Scyllae, quam adamabat interitum  
diu hic permanisse dicitur virginis sortem miserans.

(1) Sociis atque lectoribus non ingratum fore confidimus oden hanc legere, quae, Regino urbe post anni MDCLXXXIII terraemotum restituta, scripta et vulgata est. Reperitur in opere cuius titulus: *Storia di Reggio di Calabria dai tempi primitivi fino all'anno di Cristo 1797* di Domenico SPANI BOLANI (Neapoli, MDCCCLVII).

Est ipsa ramis arbor ut aureis,  
Quam propter undat fluminis alveus,  
Suis daturam poma laeto  
Dulcia temporibus colono.  
  
Ipsi perennat gratia frondium,  
Et mala certant citrea fructibus,  
Quam solis aestus non adurit,  
Nec glaciant hyemes nivosae.  
  
Et si irretorto murmure spiritus  
Austri vehementis concitat aerem,  
Nunquam teperantis lumen aurae  
Corripiat Boreae susurrus.  
  
Cum terra vernis irrubuit rosis,  
Frons ecce floret tota simillima  
Lauro, et corollis iactat albis  
Ambrosios ubicunque odores.  
  
En Taurocini (1) villa, nec exteris,  
Quae nec paternis floribus invidet,  
Suum decorum rebus auget  
Artis et ingenii paratis.  
  
O rus Valeri, o balneolum, o domus  
Musis amica! o Leucopetra, o sinus  
Praerupte, defles aestuosi  
Immeritam rabiem gigantis!  
  
Villae Valeri reliquias date  
Vitam inseptulis, atque viae appiae  
Ad sacra curvantis, nepotes  
Polliciti meliora, Romae (2).  
  
O terra felix! Paulus ad italas  
Ingressus oras, te docuit prius,  
Novumque firmavit salutis  
Foedus in ingenium tuorum.  
  
Facesque Orestis matris acinaci  
Atras revellens, lumen ab aethere  
Ductum vetustae tum columnae  
Imposuit, populo probante.  
  
Sacrumque centena aes vice tinniens  
Noctem premendam nocte monet semel,  
Meridiana horaque corpus,  
Vitae onus ut subigat, levandum.  
  
Quo nunc eremus vota Deo erigit,  
Ventis cupressus perdita floruit,  
Ad quam priores admoventes  
Barbaricūm pepulere turmas,  
Quorum arma pendent, sicut adorea,  
Funis et aris, sanguine lurida  
Nondum expiato. Summe caeli  
Rector et orbis, atrox, et omne

(1) Flumen; italice *Oalopinace*.

(2) De villa Valeri efr. Ge., Epist. 4, lib. XVI, et Philipp. II.

Hinc pelle crimen, verte malum procul;  
Quod terra, et aer, quod mare proferat,  
Frui da, et infige adiacentes  
Encelados, pede ne retuso  
Rursum hoc beatum concutiant solum.  
Sic clara rursus gens Iapeti viret,  
Nec tardat ut, cui nulla vis, nec  
Imminuit rabies quietem,  
Laetetur aetas lenis, et ingenii  
Vigor per artes permeat arduas;  
Hinc dite cornu larga frugum  
Copia Bretiades beabit.

MICHAËL ANGELUS NALDI.

#### EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

##### Ex Congregatione Concilii.

— Exstincta Abbatia regulari, licet titulus abbatis remansit, privilegia tamen et iura exstinguntur. (Ex decr. Ianuen. d. XXII mens. Augusti MDCCLXXXVIII).  
— Qui a fisco canonicius bona vindicavit, praeter expensas, aequo modo compensandus est. (Ex decr. Montis Regalis d. XXII mens. Aug. MDCCLXXXVIII).  
— Parochiae multiplicandae potius quam suppressimandae sunt. (Ex decr. Caetanae d. XXII mens. Aug. MDCCLXXXVIII).

##### Ex Congregatione Indicis.

— Ex decr. d. IV mens. Ian. MDCCLXXXIX in indicem librorum prohibitorum opera referuntur, prout sequitur:  
JÉHAN DE BONNEFOY. *Les leçons de la défaite, ou la fin d'un catholicisme*. (Paris, librairie critique E. Nourry, 1907).  
— Vers l'unité de croyance. (Ibid., 1907).  
— Le catholicisme de demain. (Ibid., 1908).  
HENRI LORIAUX. *L'autorité des Evangiles*. Question fondamentale. (Paris, Emile Nourry, 1907).  
JEAN VRAI. *Ephémérides de la Papauté*. (Paris, Fischbacher, 1904).  
T. SMYTH VAUDRY, C. Pr. *The Christ-founded Order of the Secular Priesthood*. (Montreal, Lorell. and Son, 1906).  
ROMOLO MURRI. *I problemi dell'Italia contemporanea*. Vol. I: La politica clericale e la democrazia. (Ascoli Piceno, Gius. Cesari; Roma, Società Naz. di Cultura, 1908).  
MELCHIOR CANAL. *Eléments de psychologie concrète et de métaphysique*. (Toulouse, Edouard Privat; Paris, Henri Didier, 1907).  
Emmanuel Barbier, cuius opera duo damnata sunt ex decr. d. XXV mens. Maii MDCCLXXXVIII, laudabiliter se subiecit et libros reprobat.

##### Ex Congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis.

— Utrumque diarium *La Justice sociale et La vie catholique* reprobatur et damnatur: sacerdotes Naudet et Dabry formiter ac peremptorie admonentur ne haec vel alia diaria aut scripta quaeviis eiusdem indolis sub proprio vel mentito nomine in posterum evulgare andeant, sub poena suspen-

sionis a divinis ipso-facto et absque alia declaratione incurrandae. (Ex decr. d. XIII mens. Febr. MDCCLXXXVIII).

##### Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

— Confirmatur cultus ab immemorabili tempore praestitum ven. Servo Dei Ioanni Rusbrochio, canonico regulari, beato nuncupato. (Ex decr. d. IX mens. Decembr. MDCCLXXXVIII).

— Adprobatis virtutibus et miraculis in specie V. S. D. Ioannis Eudes, tuto procedi potest ad ipsius Ven. Servi Dei solemnum beatificationem. (Ex decr. d. XIII mens. Decemb. MDCCLXXXVIII).

— Adprobato martyrio eiusque causa, signis ac miraculis a Deo illustratis et confirmatis, tuto procedi potest ad solemnum Beatificationem Venerabilium Servorum Dei Stephani Theodori Cuénot, episcopi Metellopolitani, Ioannis Petri Néel, Petri Francisci Nérón, Theophanis Vénard missionariorum apostolicorum et sociorum in odium fidei ab idololatriis interfectorum. (Ex decr. d. XIII mens. Decemb. MDCCLXXXVIII).

— Adprobato martyrio eiusque causa, signis ac miraculis a Deo illustratis et confirmatis, tuto procedi potest ad solemnum Beatificationem Venerabilium Servorum Dei Stephani Theodori Cuénot, episcopi Metellopolitani, Ioannis Petri Néel, Petri Francisci Nérón, Theophanis Vénard missionariorum apostolicorum et sociorum in odium fidei ab idololatriis interfectorum. (Ex decr. d. XIII mens. Decemb. MDCCLXXXVIII).

Inquisitionis abdicasset, in eius locum sufficitur Purpuratus Pater Marianus Rampolla del Tindaro.

— Inter « consultores » S. Congregationis de Propaganda Fide pro rebus orientalibus referuntur rr. pp. Iosephus Biederlak et Augustinus Arnadt e S. I.

— Ad Burdigalensem Metropolitanam, episcopo suo viduatum, ex Massiliensi dioecesi Eminentissimus Cardinalis Andrieu transfertur.

— Alexander Mac Donald episcopus civ. Victoriae dicatur et consecratur.

— Inter indices S. Congregationis Indicis adsciscuntur Iosephus Weber, archiepiscopus tit. Darnen.; Iacobus Bund, Procurator generalis Congr. SS. Cordium; Iosephus a Monte Rotundo ex Ordine Min. S. Francisci Capulatorm, S. Officii « qualificator »; Seraphinus Cimini O. F. M., Sacrae Scripturae lector.

##### Vita functi viri clariores.

Romae, Ludovicus e Comitibus Grabinski, Protonotarius Apostolicus, a Secretis S. Congregationis Caeremoniarum.

##### Varia.

Ut fidelibus qui a Messanensis Reginaeque regionis iactura superfuerunt paternam animi sui dilectionem ostenderet, SS. D. N. ad illa loca legationem misit, cui r. v. Ioannes Bonzano, Pontificalis Domus Antistes, praesesset, quae eius nomine omni quae licet ratione miseric illis succurseret. Romae autem S. Marthae hospitium in nosocomium convertendum curavit, ubi infirmi qui Romam usque transferrentur ad quadrigenitorum numerum recipi possent.

#### ANNALES

##### Balkanica quaestio.

Actus primus, ut ita dicam, ad Balkanicam quaestionem resolvendam iam perfectus est, expletis inter Austrorum Hungarorumque gubernium et Turcarum administris de discriminis compositione disceptationibus, rataque sententia ut Turcarum Caesar Bosniacae provinciae omnino renuat, ut Austrorum gens compensationis sub specie certam pecuniam solvat omnique possessionis iuri circa Novi-Bazar regionem abrenuntiet; ut praeterea Austri Hungarique spondeant fore ut Turcica iura in Bosnia veetigalimumque augmentum ipsi tueantur; ut denique promittant commercii foedus iri sanctum, atque in proximo qui coibit omnium nationum coetu aliis invicem defendant.

Adnotare ex nostra parte licet cum animi moere vidisse nos nihil de catholicorum protectione in Albania esse cautum; spem tamen foveamus fore ut priusquam pactiones hae firme habeantur hic defectus resarciantur; eoque magis quod res non brevi quidem tempore fortasse perficietur. Sunt enim in Turcarum imperium oppositiones obortae, quas Serbia arte foveat, ut res diutius differatur. Adde impedimenta Austraciis mercibus vendendis nondum remota, quibus ut foedus concludatur necessario finis erit

##### Pontificiae electiones.

— Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae « consultores » eliguntur Augustus Sil, archiepiscopus tit. Caesarien., Iosephus Latini, Iosephus Palica, Aloisius Malfatti ex Ord. Carmelitarum excalceatorum, Claudio Benedetti e Congr. SSmi Redemptoris, Ioachim de Llevaneras ex Ord. Minorum S. Francisci Capulatorm.

— Quum Enus vir Seraphinus Vannutelli ob malam valetudinem munus Secretarii S. Romanae atque Universalis

imponendus, ut item facile concludas, difficultates, easdemque non parvi momenti, ad scopum consequendum esse adhuc superandas.

Quod si ad Bulgarios nos convertamus, eos quoque audiemus cum Turcis compositionem pertractare, incertis tamen neque satis definitis eiusdem pacificae compositionis rationibus.

Belligradi denique et apud Nigri Montis principem moerens animus protestationibus revelatur, quibus — id saltem sperant — ceteri populi commoveantur; qui contra palam demonstrant se minime passuros Europae pacem ab iisdem turbari. Ceterum si Serbi, vel non ignorantes nulli efficaci auxilio sese confidere posse, moturi sint bellum, ecquid utilitatis facinus hoo erit ipsis allaturum?



#### Mauritana res.

Incertus Mauritanae rei status. Muley Afid enim, qui Rabat petiturus erat ut antiqua illa Abd-el-Azis fratri arce potiretur, Fez urbem contra minime reliquit, unde vettigalium augmentum dicitur subditis omnibus imposuisse hosque inde valde ipsi iratos esse. Fama etiam manavit, Muley Mohamed, tertium regalis familie fratrem, qui pariter, uti in superiore numero diximus, ad imperium nitebatur, veneno fuisse necatum.



#### Ex Perside.

Graviora ex Perside referuntur. «Constitutionalistis» qui dicuntur, quique seditionem Tabris in urbe, in religione Aserteidschan, moverunt, Ispahannenses accesserunt. Itaque huius civitatis gubernator ab officio remotus est, quum tamen is iussis parere minime paratus sit. Bellum igitur civile praesentitur, Russiaeque et Angliae interventus.

### PUBLICI PER ORBEM COETUS

#### LEGIBUS FERENDIS

In Chilensi republica novum administrorum collegium sic constitutum: Eduardus Charme internis rebus praefectus; Raphael Balmaceda exteris, cultui et coloniis; Aloisius Devoto quaestor aerarii; Georgius Hannens iustitiae et publicae institutionis praeses; Ilarius Zanarthi bellicae ac navalii rei praepositus; Emmanuel autem Espinosa Jara industriae publicisque operibus.

In Gallia comitia ad senatores eligendos favorabilia gubernio cesserunt: Antonius Dubost patrum coetus praeses iterum est renunciatus.

In Germania de laborum sodalitiis, uti ipsorum participes tum heri tum opifices fiant, rogatio legis oblatia.

In Italia uterque coetus extra ordinem convenit ut commemorato tristi illi infortunio, quod Sicula et Calabria regio perpessae sunt, opportunis legibus remedium tantae iacturae afferret.

In Russia rogatio legis de mortis poena abloenda reiecta est. Navalis rei praefectus ob varias incusationes suaes administrationi inlatas a munere abdicavit.

In Suedia coetus sessiones regali oratione resumptae, pollensque publicae pecuniae status recognitus.

In Turcarum imperio publicus coetus laboribus manus admovit. Administrorum primus Kiamil Pacha civilis rei statum tum intra imperii fines tum apud exteris fuse, sobrie, plerisque approbantibus exposuit.

### PER ORBEM

Die xxi mens. Decembbris m DCCCC VIII Cairo in urbe novum Aegyptiorum athenaeum sollemni ritu inauguratorum.

— d. xxii Iberniae ad inferum litus *Irada* navis ponto submergitur. Navarcha et viatores plures vitam misere amittunt.

— d. xxv Lutetiae Parisiorum civis quidam e «nationalistarum» factione Fallières, reipublicae praesidem, publice offendit.

— d. xxvi Santi Iacobi in Chilensi urbe coram civitatis praeside doctrinae conventus «panamericanus» incipit.

— d. xxviii immanis terrae motus Italas urbes Messanam et Rhegium lateque oppida circum evertit. Ruini obruti cives ad ducentorum millium numerum computantur.

— d. xxix Italiae rex et regina ad loca terrae motu vastata opem ipsi latrui proficiscuntur.

— d. xxxi Messanam Gallica classis appellit, ut cum Russica et Anglicā, quae illic forte erant, urbis ruinae aliquo modo succurrat.

Die i mens. Ianuarii m DCCCC IX Margarita, Italorum regis mater, Neapolim tenet vulneratos a Calabro atque Sieulo infortunio ibi receptos visitatura.

— d. v ad Laudem Pompeiam ex vaporitraharam occursu viatores plures vulnera perpetiuntur.

Bukarestina princeps regalis foemina filiolam parit.

Ad Mukden in Mandchouria militum rebellio fit, quam vi a gubernio reprimi oportet.

— d. vii per foedus, cui et Nordicae Americae civitates et Columbiana accidunt, status Panamensis libertas recognoscitur.

— d. xii in Italiae regionibus, a Tuscia ad Venetas et Pedemontanas, terra quatitur, nulla tamen hominum et locorum iactura.

— d. xiv Petropoli, Rodjestwenski ille classis praefectus moritur, cui in Iaponio bello Sciuscimae cladem a Russis acceptam tribuerunt.

— d. xv Lutetiae Parisiorum supremum obit diem Hernestus Reyer, musices magister valde celebratus; Berolini Hernestus von Willenbroch poeta et dramaturgus artifex; Genuae Stephanus Canzio dux, Iosephi Garibaldi gener.

Denver, ad Rivi-magni Americanam urbem, curruum series vapore actorum in alteram incidit, mortem aut vulnera duodeseptuaginta viatoribus procurans.

— d. xviii Zywiech, in Silesia Austriaca, Hieronymus Radzivill, e Polonica gente princeps, Renatam ex Austrorum magnis ducibus, Caroli Stephani ac Mariae Theresiae filiam, uxorem ducit.

— d. xix ex Russia nunciatur cholera morbus iterum necopinato saevire; ex Asia Minore autem terrae motus damna pluribus oppidis ad Phociam intulisse.

— d. xx ex Hispania pariter nunciatur terram motam esse passim, quum tamen feliciter nullum vel hominum vel locorum malum lugendum sit.

### LIBRORUM RECENSIO

MONS. NICCOLÒ MARINI. *L'Immacolata Concezione di Maria Vergine e la Chiesa Greca Ortodossa dissidente.* (Romae, ex off. Salviucci, 1908).

Spatii angustiae nos prohibent quominus fuse, pro metitis, de libro hoc recens edito dicamus, amplissimis laudibus apprime digno, quibus Summus ipse Pontifex per autographas litteras cl. auctorem exornavit. Qui quidem novam rem quasi primigeniam — ut candide fatetur — pertractandam sibi minime assumpsit, at nova via eademque non prius explorata ad propositionum suum instituti. Quum enim accurate deligisset qui tum Patrum tum Doctorum ex vetere Ecclesia Graeca textus, praecipue, nisi quando unice, singularem Virginis Mariae innocentiam ac puritatem praeseferrent, inde dialectice atque saepe mira claritudine deduxit, illos implicite saltem, beatissimae Matris Dei immaculatam conceptionem iuxta catholicam doctrinam recognovisse. Sunt ex sexaginta et ultra fontibus aquae deductae, quarum si non nullae de integritate sua dubia ac disceptationes afferre possint, fluminis tamen ubertatem salutiferam tenuare eiusque fructum aliquem detrahere aut adimere minime valent. Quid? Necesse ne est singulas fidei veritates dilucide atque explicare in traditione contineri? Optime de Graecis liturgiis Maximilianus, Saxonum princeps, scribat: «Testimonia directa et explicita pro Immaculata Deiparae Conceptione quaeruntur, quia sunt ex illis temporibus antiquis, quibus haec doctrina nondum clare vel explice extabat. Eodem ergo modo, sc. latenter et implicite, sicut tunc veritas Immaculatae Conceptionis in doctrina Ecclesiae inerat, eodem modo continetur in liturgiis orientalibus». (*Praelectiones de liturgiis orientalibus*, Friburgi m DCCCC VIII, pag. 39)

Atqui huius rei veritas iam in limine operis sui a Marinio nostro aperitur. Apud Patres Graecos — arguit — atque Graecas liturgias si Deiparae conceptionis dogma dogmaticis formulis apprime expressum non inveniamus, non inde deducendum id a Christiana traditione esse ignoratum? Nonne eadem de aliis Christianae doctrinae propriis ac necessariis dogmatibus repeti possunt, quae, ex traditione hausta, a Conciliis rata atque declarata dogmaticis definitionibus deinde sunt? Graecorum Patres «absolutam Mariam impeccabilitatem» testantur, per quam Deipara non praeter naturam, non praeter homines, sed praeter ipsos angelos posita sit. Num re «impeccabilitas» haec sine originalis peccati exemptione mente concepi potest? Maria vel a minimis venialibus culpis immunis est; purissima, sanctissima est, non quidem ex eo quum in homine usus rationis incipit, sed a primo existentia sua momento. Quum itaque nullum veniale aut mortale peccatum in utero matris sua in Maria comprehendendi licet, plane inferendum est Graecae Ecclesiae Patres aperte, quamquam implicite, Immaculatae Virginis conceptionis dogma professos esse, quum eam electam creaturam celebraverint ne momentum quidem temporis Satanae dominatum passam, neque culpae cuiusvis flatu unquam tactam, ita ut veritas promissa, vera iustitia inter homines, virgo atque vallis, germen atque paradisus semper virescens, decus nostri generis semper nitens, immaculatum Dei domicilium extiterit et omni tempore gratiam Spiritus Sancti habuerit. Quum autem Spiritus Sanctus in anima culpa foedata minime cohabit, si Mariae anima plenitudinis donorum Spiritus Sancti particeps omni tempore fuit, necessario concludendum est ipsam omni tempore fuisse purissimam, id est a conceptione sua immaculatam.

Hic exquisitis rationibus, quas ad specimen resumimus, Marinus Patavio respondit, qui, licet Patrum eruditio insignis, ab itinere longe aberavit, verbis Graecorum Patrum vim demonstrativam pro catholico dogmate denegans.

Ut in unum de Marinii recenti opere indicia colligamus, agnoscerre placet in hoc libro et pretiosa tum patristica tum dogmatica collectanea, et perfectum theologiae commentarium et pietatis studium in auctore vehementissimum.

I. F.

DANTIS ALIGHIERI OPERA OMNIA EPICA ET LYRICA germanice conversa per RICHARDUM ZOOZMAN. (Friburgi in Brisgovia apud Herder, 1908. — 4 vol. in 12<sup>o</sup>).

Principem poetarum italicorum, Dantem Aligherium, cum omnibus quidem gentes, tum imprimis Germani praecipuo semper in honore habuerunt. Quae res in Germania vel ex eo patet, quod, superiora saeculo, *Divinam Comediam* metrica verterunt scriptores germanici ad minus viginti.

Ceteros tamen interpres, peritorum iudicio, longe nunc superavit Richardus Zoozman. Qui, quum aliquot ante annos Lipsiae edidisset egregias versiones a viris doctissimis impense laudatas, iis nondum contentus, aliam mox aggressus est interpretationem, numeris omnibus absolutam, quae typis impressa Herderianis, nuperime in lucem prodit. Nec *Divinam* tantum *Comediam*, sed cetera quoque Dantis carmina interpres germanice reddidit, addito quidem italicico textu, et eodem usus versuum genere eodemque versiculorum numero atque ipse poeta Florentinus.

Tanta autem fide suum interpres opus absolvit, ut nullam alicuius momenti vocem, quae in italicico textu legatur, ipse omiserit; neque ullam etiam addiderit, quae in eodem textu originali implicite saltem non reperiatur. Praeterea singulis generatim versiculis, aut certe cuilibet versiculorum triadi ea adamassim inseruit cogitata, quae ipse Dantes inse-

ruerat; quin etiam singulas triades iisdem vocibus et exorditum et plerumque concludit. Ac fidelitatem hanc extrinsecam et veluti materialem, plus etiam nobilitat fides illa intimior, quae eodem animi sensus ac motus in lectore alamanum excitat, quos lector italus experiri consuevit; ita ut Dantis spiritus modo vehemens et acer, modo lenis ac blandus, nunc irae, nunc misericordiae plenus, in suum videatur transiisse interpretem.

Id vero praestare clarissimum auctor nequaquam potuisset, nisi, una ex parte, diuturna meditatione Dantis cogitata penitus ac medullitus penetrasset et in suum quodammodo infudisset animum; et nisi, altera ex parte, thesaurum ille germanicae linguae, tota qua pollet amplitudine ac profunditate, vasta teneret mente ac tenaci memoria.

Accedunt Operi annotationes iustae brevitatibus, quae velut faces obscuriorae quedam loca illustrant. Menda typographica nec in italicico nec in germanico textu ulla reperiuntur; charta optima est et typi nitidissimi, uti volumina omnia, quae e praelis Herderianis prodire solent.

F. X. R.

R. P. PLACIDUS T. LUGANO O. S. B. dono nobis misit volumen a se conscriptum de *historia Congregationis Camaldulensis Eremitarum Montis Coronae*, quod specimen est proximae editionis librorum ad historiam Benedictinam spectantium, et nos magna cum voluptate legimus. S. Romualdi enim comitatus, B. Pauli Iustiniani vita, eremiticae regulae vices spiritum illum, non quidem terrenum, paulatim infundunt, unde eremita Montis Coronae informantur, qui omne studium conferunt ut in dies ad vitae perfectio- nem propius accedant.

Clarissimo sint igitur scriptori pro meritis gratulationes; sintque etiam typographicae officinae Sublacensi, nuper a Benedictinis restituta, quae opus de quo agimus splendida veste ornavit.

M. A. F. HOLMES ex Macedone in Civ. Foed. Am. Septentrion. quem inter socios habemus, pro sua humanitate nobis tradidit tum *Acta Academiae Internationalis pro Lingua Universalis*, tum ipsius universalis linguae vocabularium cum Anglicā versione. Est hoc procul dubio magni ingenii labor... quem tamen concelebrare non possumus nos, qui universorum sermonem — doctorum saltem virorum — latīnum esse debere acriter tamdiu contendimus.

A. L.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in *Voce Urbis* eorum notitia detur, apud administratorum nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

MONS. NICCOLÒ MARINI. *L'Immacolata Concezione di Maria Vergine e la Chiesa Greca Ortodossa dissidente*. — Roma, ex off. Salviucci, 1908.

W. SCOTT PALMER. *La Chiesa e l'uomo moderno*. — Traduzione dall'inglese di F. M. — Augustae Taurinorum, Mediolani et Romae edid. fratres Bocca, 1909. (Ven. lib. 3).

CARD. ENRICO NEWMAN. *Il Papa, il Sillabo e l'Infallibilità Papale*, ossia Lotte d'altri tempi oggi rinate e rigogliose. Traduzione con Introduzione e Note del Prof. Domenico Battaini — Indidem. (Ven. lib. 4).

CAN. DOTT. PROF. MARCO BELL. *Magia e pregiudizi nelle tragedie di Seneca*. — Venetiis apud Venetum Institutum Artium Graphicarum, 1908.

*The Story of Daphnis and Chloe* a Greek Pastoral by Longus edited with text, introduction, translation and notes by Y. D. LOWE M A. — Cambridge edid. Deighton Bell. and Co., 1908.

PUJIA A. *Preludi e accordi (1881-1908)*. — Romae edid. Desclée et Soc., 1908. (Ven. lib. 2,50).

GASPARRI A. *Manuale Liturgicum ad recte redigendum Kalendarium Ecclesiasticum pro quolibet anno iuxta Rubricas Breviaril et Missalis Romani et novissima SS. Rituum Congregationis decreta*. — Indidem. (Ven. lib. 3).


TOURNEUR F. *Dal dubbio alla fede*. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

MARTIN E. *San Leone IX (1002-1054)*. — Indidem. (Ven. lib. 2).

CHAIGNON P., S. I. *Compendi delle meditazioni per i sacerdoti con aggiunta di nuove meditazioni ed altre appendici* — Indidem. (Ven. lib. 4,50).

P. F. BENASSI O. C. *Praeclodium philosophicum-theologicum, seu brevissima quaedam pracepta ad philosophicas et theologicas dissertationes rite elaborandas. Ac scholasticae disputationis methodus*. — Indidem. (Ven. lib. 2).

L. MACINAI S. I. *Aspettativa. Le devazioni: II. Maria Santissima; considerazioni e documenti*. — Indidem (Ven. lib. 1,20).



## AENIGMATA

## I.

Dulcis odor nemoris flamma fumoque fatigor:  
Et placet hoc Superis medios quod mittor in ignes,  
Cum mihi peccandi vitium natura negarit.

## II.

Sunt geminae germanae, harum alteram et altera gignit,  
Perque vices sic fit filia nata parens.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI  
DE ORATORIBUS ROMANIS ACROASIS.

Aenigmata an. XI, n. XI proposita his respondent:

1) Arca Noetica; 2) Cor-nix.

Ea rite soluta miserunt:

Max. Wronski, *Nova Vies Narodowa*. — Petrus Tergestinus — Alf. Martinez, *Badaicio*. — Guido Guidasci, *Mantiana*. — Guil. Schmidt, *Londino*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Lod. Dubois, *Massilia*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Mich. Hebers, *Neo-Ebaco*. — Ios. Büttgens, *Sutrio*. — Guili. Schenz, *Ratisbona*. — F. Guerra, *Aletio*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Rich. Müller, *Berolino*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — Vine. Starace, *Neapoli*. — Mercky, *Bellennagry*.

Sortitus est praemium:

MAXIMILIANUS WRONSKI,

ad quem missa est I. B. FRANCESCA comoedia latinis versibus scripta, cuius titulus:

SATURIO.

## [2] AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia

Recognovit I. F.

Cur. Tuus sum ego. Dic confidenter, si quid velis.  
San. Animus tuum novi, novi ingenium tuum.  
Me totum tibi trado, atque istum, quem conspicis,  
Iuvenculum. Cur. Quis est? San. Meus amicissimus,  
Quem diligo ut fratrem, Charinum nomine.  
Cur. Charine, salve. Char. Di te omnes, Curulio,  
Iuvent, in quo nostras (1) spes collocavimus.  
Cur. Quantum est in me situm, roga, iube, impera.  
Char. Dic, Sannio, in quo res statu nostrae sient.  
Cur. Audacter loquere. San. Quin etiam audacissime  
Tua fretus bonitate: omnem igitur rem tene.  
Optimus hic adolescentulus, et frugi bona,  
Quicunque semper consuetudo mihi fuit,  
Heu quam severum, et inclementem, et sordidum  
Senem est nactus patrem, qui nil humanitus,  
Neque ut decuit animum iuvenculi,  
Cotidie, si quid minimum peccasset miser,  
Accusans, increpans, obiurgans acriter,  
Dictis, pugnis, verberibus mulctabat male.  
Adhaec parcus nimio plus, ac sordidus  
Suum male fraudabat genium, sic saepius  
Esuriales indicebat (2) domesticis

(1) Manibus complectens Curulionis manus.

(2) Manu famem indicans.

Ferias; ludos vero, et quae fert pueritia,  
Apage ab illa domo: neque in foro, neque in  
Via cum aequalibus sermones exequi  
Dabatur. Et eo res reddit: iuvenculus  
Saepe et graviter eadem patiente victus est;  
Atque, ut male mulcatus asellus depellere  
Gravem contendit sarcinam, ornavit fugam;  
Conrasit noctu, quidquid obvium fuit,  
Atque domo excessit peregre, opem implorans mean.  
Tum ego, quid facerem? amiculum destituerem?  
Non meus is mos: huic ergo eduxi clanculum,  
Ubi putabam te inventurum, Curulio,  
Qui nostris in angustiis succurreret.  
Qui vir sies, novi: tu prora et puppis es.  
Tenes tunc? Cur. Teneo iam; sed quantum, dic mihi,  
Habet (1) in peculio? San. Quantum? Ne hilum quidem.  
Cur. Quo id pacto? San. Hoc nempe pacto. Cur. An non  
modo domum  
Compilasse fugientem dixtin? San. Quid putas?  
Quod surripere vigilantissimo seni  
Licuit, diebus quindecim, ex quo ambo absamus  
Domo extortes patria, defluxit illico;  
Ambo proin sumus redacti ad incitas.

(1) Latus tangens adolescentis.

(Pergit in pag. seq.).

♦ DESCLÉE ET SOCII - EDITORES PONTIFICII ♦  
ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE  
(700)

*Liber Usualis Missae*

pro Dominicis et Festis duplicitibus

cum Cantu Gregoriano

ad exemplar Editionis Vaticanane

concinnatus

et rythmicis signis a Solesmensibus Monachis

diligenter ornatum

♦ Vol. in-18 const. pag. 1086, ven. lib. 3 - Tela coop. lib. 4. ♦


Char. Et ni adcurris cito, fame peribimus (1).  
 Cur. O factum bene! Nunc triplex ieiunantium  
 Facta est societas. San. Quid ais nunc, Curculio?  
 Cur. Id nempe aio, ieiunium cum esurie  
 Coivisse hodie. San. Ludis nos, Curculio.  
 Cur. Ludo? Utinam ludarem. Credas mihi, Sannio,  
 Annona oh! quantum heic cara est; passim esurunt.  
 Annum ieiuniosorem, neque magis  
 Fame effertus vidi unquam; frusta obambulant  
 Parasiti in compitis; nemo vocat, respicit  
 Nemo, nec ridiculos faciunt teruncii:  
 Vae, quies sunt verba sine penu, et pecunia.  
 Char. Sic nos alienigenas destituis? nec piget  
 Te nostri, qui in te spes omnes locavimus? (2)  
 Cur. Piget equidem, Charine, quod male admodum  
 Locaris, et aquam e sicco queras pumice.  
 Char. Heu me miserum! En quomodo spes, qua lactaveras,  
 Evanuit, Sannio. En amicorum optimum,  
 Certissimumque, quem nobis praesto fore  
 Confidebas. Atque ego merito pector, patrem  
 Qui desponsos factos assecutatus fui  
 Amicos. Eheu, eheu, quo vertar miser?  
 San. Audin', Curculio, ut me castigat hic puer,  
 Quippe tuo ingenio, ac virtuti confiderim?  
 Cur. Miseret me vestri, aequae ac mei; at non suppetit,  
 Quo pacto vobis opituler: aqua haeret mihi.

(Ad proximum numerum).


(1) Concitata voce.

(2) Lacrymas fundens loquitur, et iratus adversus Sannionem.

**HOROLOGIUM**  
 ad Roskopfii rationem  
 in germanicis Officinis fabricatum



sociisque Commentarii Vox Urbis  
 qui subnotatores novos  
 acquisiverint duos  
**praemio constitutum**



sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula  
 baptismalem pompam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)  
 sociis omnibus qui novum unum acquisiverint  
 gratuito donatur.

**Epistolarum commercium**

Cl. v. P. IP.... — Scriptum ex Brasilia sero nimis  
 accepimus, quam ut in hoc fasciculo vulgari possemus. Itaque,  
 in proximum numerum. — Interea ex hisce Americanis re-  
 gionibus novos subnotatores expectamus.

Cl. v. IAC. TAS...., Turnoduri. — Accepimus, tibique  
 gratias habemus.

Cl. v. MAX. WRO...., ap. Lobzowium. — Narratiacula  
 suo tempore inter locos referetur.

Cl. v. IOS. WAB..., Varsaviae Polon. — Scripta illius  
 generis non magni momenti nobis videntur. Atque ex figu-  
 ris etiam difficultates oboviuntur.

Cl. v. VIN. ST...., Neapol. — Ad maiora animum  
 nunc ille intendit, quam ut nos diutius curet!...

Cl. v. PETRO TERGESTINO. — Aditus ergo ad istum  
 hominem tam difficilis est?

Cl. v. PHIL. NER....; Novocomi. — De scripto dicas, et  
 cacophatos proculdubio ipse adnotabis.

Cl. v. A. HAB..., Modling. — Litteras tuas statim ad-  
 ministratori tradidi. Ante diem XVII proximi mens. Februarii  
 scriptum de terrae motibus quod pollicitus es, prima saltem  
 ex parte mittas.

A SECRETIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

NUMISMA  
 iubente Consilio Centrali  
 ad  
 Pii PP. X Sacerd. Jubilaeum  
 celebrandum  
 expresse descripsum ei cusum

## PROSPECTUS SUBNOTATIONIS COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

recto tramite mittendum

**ad ARISTIDEM LEONORI Equitem***Commentarii "Vox Urbis," possessorem et administratorem***ROMAM, Piazza del Gesù, 48****Praemia sociis constituta:****Ex subnotatoribus quisque**

numisma, iubente Centrali Consilio ad  
 Pii X P. M. Iubilaeum Sacerdotale cele-  
 brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

**Novi subnotatores singuli**

praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,  
 quod socii, qui iam superioribus annis ha-  
 buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diribitorii expensas  
 resarcendas addiderint.

**Qui socium novum acquisiverit unum,**

eiusque subnotationis  
 pretium cum suo mi-  
 serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-  
 chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc  
 tamen et sequentibus praemiis bibliopoleae excipiuntur.

**Qui socios novos acquisiverit duos**

ut supra, horologium sibi  
 habebit in Germanicis of-  
 ficiis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

**Qui socios novos acquisiverit tres**

eorumque subnotationis pre-  
 tium miserit, a pretio suo  
 solvendo eximetur.

**Qui socios novos viginti quinque coegerit**

ante Iulium  
 mensem, di-  
 midiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in discessione  
 Italica stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

**Qui socios novos coegerit quinquaginta,**

uti supra, eodem  
 itinere gratis om-  
 nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

*Diligentia in opere.*

*Temperantia in pretio.*

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

*Gallice atque Hispanice loquitur.*

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (<sup>Grand Hôtel</sup> de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

 Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda 

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX  
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venundantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De provecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

**ROMAM** - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

Kronika Rodzinna „

Krakowskie Przedmieście, 6.

Montreal

1099, Rue Notre-Dame.